



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 13. Sine cura esse posse iniustè vexatos. etiamsi aduersarios suos in ius
secum ire diuinum non iubeant, in hac vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

sua, apud illum, facinora esse oblitterata. Sed
si unus passer non est in obliuione apud Deum, Luc. 12. 6.
quo pacto posset tam sancti Præsulis obli-
uisci? Ergo vix pauci menses, à morte
Heraclij ierant, cum Nantinus flagrantissi-
ma feбри repentè incensus, cæpit, more in-
fanientis, vociferari: *Heu, heu, ab Hera-
clio Antistite exuror; ab illo crucior, ab illo ad
iudicium vocor: Agnosco facinus, recordor ini-
uriarum, quibus eum oneraui.* In his ipsis cla-
moribus, febrili incendo consumtus, ne-
fastum spiritum, ad diuinum tribunal (vti-
nam non etiam ad Gehennæ incendium!)
expuit.

§. XIII.

*Sine cura esse posse iniuste vexatos, etiamsi ad-
uersarios suos in ius secum ire diuinum
non iubeant, in hac vita.*

Videtis hîc, ô Christiani, nulla opus esse
vobis, in hac vita, ad iniurias vindicandas,
citatione? Hîc nunc patientiæ tempus est;
in altera vita, erit tempus vindictæ. Cum
diuino tribunali astabitis, sine peccato, &
vlllo periculo, poteritis persecutores ve-
stros, itidem ad illud, in ius, vocare. Nunc,
vobis tacentibus, caussam vestrâ agit Deus;
si eum agere finitis, & non anteuertitis. Ve-
rè S. Gregorius scripsit: *Delinquenti Domi-*

S. Greg. *nus nequaquam parcit; quia delictum, sine ultione*
 l. 9. Mo- *non deserit. Aut enim ipse homo in se poenitens*
 ral. c. 27. *punit, aut hoc Deus cum homine vindicans per-*
cutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia
nullatenus sine vindicta laxatur. Deo itaque hanc
 Deut. 32. *curam relinquit, quia sanguinem servorum*
 43. *suorum ulciscetur: & vindictam retribuet in hostes*
eorum.

§. XIV.

Sine cura esse non posse iniuste vexantes, etiam si
iniuste vexati, eas in hac vita, non inbeant
secum in ius diuinum ambulare.

Vos autem, o viri Illustres, & Illu-
 strissimi, nolite, vobis promittere impu-
 nitatem, si ad vallem Iosaphat vos non
 auditis euocari ab ijs, quos tyrannicè pre-
 mitis; quorum sanguinem exfugitis; quo-
 rum agros, fundos, piscinas, silvas, peco-
 ra inuaditis; quorum pecunias detinetis, e-
 quos abducitis, villas incenditis, filios &
 famulos occiditis; quorum totas regiones
 populationi, vastationi, in compendio di-
 cam, bello diuturno, & affectatè protra-
 cto exponitis. Esto nemo viuens, nemo mo-
 riens vos ad Dei tribunal citet: citabunt ta-
 men mortui, tantarum vtique iniuriarum
 non immemores futuri; citabunt ipsa faci-
 nora vestra, ad cælum, contra vos, cla-
 man-